

907

exerceamus. Et certe non citra causam *articulus* ē præmittitur, sed ἐξοχή quædam eodem innuitur: Ο Κύριος κατ' ἐξοχήν in Novo Testamento, correspondet *essentia* Nomini Hebræorum *Jehova*, quod ipsam *divinam essentiam* indigitat. Et DEUS solus habet *clavem intellectus*, & *voluntatis*, ipse solus *intellectum* aperire, & *sapientiam* infundere potest, sicut passim in sacris literis indicatur. Et hic est ille *Jehova*, qui Solus omnium sapientissimo *Salomoni*, cum eam postulasset, veram & admirandam *Sapientiam* communicavit *I. Reg. III. 5. seq.*

8. (2) *Χερικῶς*, quæ ratione *causalitas principalis* *Mnemosophias paschalis* h. l. tribuitur (a) DEO Patri, tum quia hac ratione *Timotheus*, & cum eodem omnis *Theologus*, imo quilibet *Christianus* confortari debet *in gratia*: v. l. *gratia* verò *κρίτηρον* est DEI Patris, dum passim *gratia*, vel *misericordia* DEO Patri peculiariter in sacris appropriatur: *resurrectio* vero *Christi* dicitur *opus gratia*, & omnia, quæ pendent ex *resurrectione Christi*, nobis contingunt ex *gratia*, vel *misericordia* DEI Patris, sicut scribit *Petrus I. Epist. I. 3. Benedictus DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum Misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem, conservatam in celis: tum quia laborare, vel afflictiones tolerare debemus, sicut milites Jesu Christi v. 2. Christus per suam passionem & mortem vivus resurrexit, & ita regni sui gloriam intravit Luc. XXIV. 26. nos igitur in virtute, & ratione meriti & resurrectionis Christi militare, laborare, tribulationes tolerare debemus, ut per multas tribulationes DEI regnum ingrediamur Act. XIV. 22. sicut Apostolus etiam hoc ipso capite Timotheo suo v. 12. scribit: Fidelis sermo; nam si commorimur, convivimus, si sustinemus, vel afflictiones toleramus, & conregnabimus. Hæc autem *œconomia Christiani laboris*, *mystica crucis* est *œconomia*, vel *schola DEI Patris*, est *disciplina DEI Patris* Heb. XII. 5. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit: in disciplina**

B

disciplina